



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicæ**


**Schnorrenberg, Anno**

**Coloniae, 1740**

Præfatio In hanc novam Editionem Ad Lectoren Candidum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



## P R A E F A T I O

### In hanc novam Editionem

*Ad Lectorem Candidum.*

**S**icut duobus potissimum subjecti sunt periculis Liberi postumi, uno, ne paternâ destituti tutelâ eorum, qui illos tueri debebant, fraudibus portione hæreditariâ preventur; altero: ne post nonum forsan mensem editi tanquam illegitimi ab eadem repellantur.

Ita & Libros, qui sunt Sapientum liberi & fœtus partu tantò feliciore, quanto spirituales animæ potentiae utero materno & nobiliores sunt & fœcundiores, si post fata Authorum suorum obstetricante manu alienâ in lucem edantur, jure merito posthumos vocamus, eiisdem, imo & majoribus non raro subjectos malis ac periculis, quam liberi postumi, quibus D. D. Imp. ff. de lib. & posth. hæred. instit. C. de posth. hæred. instit. subvenerunt; Libris verò posthumis ita subventum non est; experimur hos quandoque aut alieno ita immutatos ingenio, ut non posthumus ac genuinus Defuncti, sed potius novus Compilatoris fœtus, aut variis Patre suo Eximio indignis mendis & erroribus involutus ac difformis totus appareat, ita, ut hæreditatem doctrinæ, quæ defuncti laus est, & Posterorum utilitas, aliorum inscitiam aut negligentiā amissam doleamus.

Sortem hanc ante annos aliquot subierunt posthumæ Institutiones Canonicæ Authore Sapientissimo Patre, admodum Reverendo & Eximio Domino ANNONE SCHNORRENBERG (utimur Verbis Editionis istius

P R A E F A T I O.

in p̄fāt.) Viro per omnia consummato , de re litteraria meritissimo , toti litterato Mundo ob insignem suam Editionem apprimè noto. Titulos & Laudes agnoscimus , augere nolumus Domestici , dum præconizant Extranei ; ingemiscimus interim & ingemuimus , quod partus hic Candi & Canonici Ordinis nostri Viri Eximii , ingenio formatus alieno , Juris Canonici minùs perito , ex vitioso Discipuli extranei pariter indocti manuscripto prælo jam tum exiislet , antequam Reverendissimus D. Abbas Noster p. m. interpellaretur pro edendi licentiâ , quam tandem post multas instantias & plurimas ad finem Operis cum Notaminibus alicujus ex nostris rejectas Correctiones , facilitate tamen nimis adhuc misericorde , concessit , damni , cujus causa non eramus , cavendi gratiâ ; Veruntamen Correctiones istæ , prout palam est , difformitatem tam grandem non deterserunt totam , remanserunt materialium transpositiones ; mutilationes , sententiarum variationes , ineptus Juris citandi modus , oratio pro affirmante negans & è converso , ac plura his similia , quæ fœtum fœtere faciunt , nauseam creant , Lectoribus etiam imperitis ; neque libet Juris Candidatis continuo ad correctiones recurrere ; Cedunt quoque in dehonorationem Viri tam impensè suprà laudati & laudabilis , præsertim apud eos , qui vivum noverunt.

Quare , benevole Lector , pro publica , quam speramus , utilitate , & grata Eximii p. m. Authoris memoria conservanda , atque si alicubi passa forsan , restauranda , elapo nunc Privilegii Cæsarei Nobis quoque int̄cīs obtenti tempore hanc Institutionum , &c. Editionem Operis posthumū adornavimus , quam etsi alteram dicamus , verè tam prima & genuina est . Utē & vale ,

APPRO.

